

memorato de Actibus Apostolorum (c. 15), ubi facta seditione propter caeremonias iudaicas, conveniunt apostoli, et seniores eisdem de verbo hoc, nullam tui mentionem Scriptura fecit, dicitur putandum est, quod conventus ille te miserit, et sanctum de tuo pectore, et de tuo ore Spiritum non consuluerit? immo et ille, et in ceteris agendis, tu principis omnem solvisti quaestiones, ita tamen, ut non clamaves, neque contenderes, nec audiret vox tua foris: quia sicut ante nos dictum est: Tu sola es Virgo, quae unicevram haereticam praevitatem interemisti: haec enim Rupertus. Immo Canisius (lib. de B. Virg. c. 1) affirmat, Deiparam in praedicto Apostolorum concilio caput extitisse, sed minime gentium id credam, arbitrator quidem interfuisse, sed non praefuisse: cum enim illud concilium, quod primum omnium fuit, futurum esset in Ecclesia catholica reliquorum, quae in illa celebranda erant, certa regula, et norma, oportebat quidem non aliud esse caput illius, quam summum Pontificem Petrum: unde non dubito, quin in publico illo concilio ipse, lanquam caput Ecclesiae a Christo Domino constitutum, primam sedem habuerit, et capituli munus gesserit: unde d. Bernardus (de verb. Apoc. super Signum magnum) postquam adduxerat verba illa: *Hi omnes perverebant unanimiter cum mulieribus, et Maria matre Iesu, subditi: Ita ne, et mulierem esse ultimam exhibebat, ut novissima omnium poneretur? merito facta novissima prima, quae cum prima facta esset, omnium sese novissimam faciebat.* Quibus verbis non obscure indicat d. Bernardus, cum Apostoli essent perseverantes unanimiter in oratione (Aetor. 1), tunc Deiparam novissimum e legisse locum. Sed ad rem nostram revertemur, propter haec eximiam b. Virginis sapientiam, Ecclesia catholica vocat illam haeresium interemptricem: *Cunctas haereses sola interemisti in universo mundo: quod et disertis verbis dixerunt Athanasius (ser. de sanctis. Deip.), Hieronymus (ser. de Assump.), Bernardus (ser. super Signum magnum, et super Salve Regina), et Rupertus (l. l. in Cant.).* Dicitur autem cunctas haereses interemisse, quia exemplo suae fidei, et doctrina, qua Apostolos multipliciter illuminavit, singulari modo cooperata est ad extirpandos omnes errores. Quamvis infans non ibo, id propter alias etiam rationes verificari posse, nimirum quia genuit illum, qui cum sit solus iustitiae, lucem intulit mundo ad interemptionem omnium haeresium sufficientem; et quia ipsa principem tenebrarum deiecit, qui est auctor omnium haeresium; et quia tandem speciali suo favore adjuvat fidei defensores ad expugnandos haereticos, et falsa eorum dogmata confutanda. Ad extremum accedit ad commendationem mirabilis sapientiae beatae Virginis, quod non ab hominibus fuerit edocta, sed partim a Deo ipso immediate, partim per angelos, aut sacram Scripturam: sic enim illud observavit d. Bernardus (hom. 4. super Miss.), dum ait: *Deceit, ut ab angelo potius, quam ab homine mysterium discretet, ne mater a consiliis Filii aliena videretur, et ut ipsa rerum tempus, et ordinem melius tenens, scriptoribus, et praedicatoribus evangelii reseraret veritatem, quae,*

et plena de omnibus a principio coelitus fuerat instructa mysteriis.

Alque hinc est, seculum Virginis nullis erroribus fuisse admixtum, immo existimaverim, intellectum eius in nullo rerum genere errorum aliquo fuisse obcuratum, aut ignorantia alienius rei ad proprium statum pertinentis, laborasse: qui enim illum praeservavit a peccati originalis labe, quae ianna fuit omnis erroris, consequenter creditur eandem praeservasse a poenis, quae Matrem Dei dedebant; dedecet autem Matrem aeternae Sapientiae, in qua erant omnes thesauri scientiae Dei, error pravae dispositionis, et ignorantia eorum quae ad proprium statum pertinent; et quidem cum huiusmodi error, et ignorantia non essent in statu innocentiae, et b. Virgo omnibus perfectionibus illius status, cum vitae mortalitate non repugnantibus, cumulatissima fuisse credatur, consequens est, omni errore, et ignorantia semper caruisse. Ac tandem, quia b. Virgo habuit plenum dominium suorum auctum: ergo potuit de rebus iudicare ea, quae certa fide, vel scientia infusa, vel speciali, aut privata aliqua revelatione cognoscebat; in aliis vero, vel suspendere assensum, vel solum iudicare, quid esset verosimilitas. Unde esse graviter errare arbitror, qui propter illa verba Lucae (c. 2): *Existimantes autem illum esse in comitatu, requirebant etc.*, errorem Virgini tribuunt, quod iudicavit Filium suum esse, ubi re vera non erat: verba enim illa vel intelligenda sunt per synecdochen ad eum modum, quod de latronibus dicitur, quod blasphemabant Christum Dominum, cum tamen gravissimorum doctorum sententia sit, solum unum blasphemasse. At ergo Lucas per synecdochen: *Existimantes illum esse in comitatu*, quia id ita dicitur solus Ioseph, non Maria. Vel quod mihi probabilius est, b. Virgo non iudicavit determinate esse in comitatu, sed quod, attentis omnibus circumstantiis, verosimile videbatur esse in comitatu; quod sane iudicium verum erat, et omni carens errore. Illa tamen verba, quae subsequuntur (*ibid.*): *Et ipsi non intellexerunt: ob quae nonnulli putarunt, in beata Virgine fuisse manifestam ignorantiam, duplicem expositionem satis congruam sustinent.* Prima, quod dicta sunt propter alios circumstantes, et non propter Virginem, cum Ioseph: nam cum ipsi apertissime cognovissent Christum non habere humanum patrem, non poterant non intelligere, quod cum ille dixit (*ibid.*): *Nescitis, quia in his quae Patris mei sunt, oportet me esse?* loquebatur de aeterno Patre. Secunda expositio sit, quod esto de b. Virgine dicta sint verba illa, sensus eorum est, quod non intellexerunt rationes, ob quas Christus Dominus ea profudit, et quid vellet illis significare: ita Origenes, et Theophylactus (in Lucam), et Iansenius (cap. ult. suae Concordiae). Tandem, ut quae ad Marianum nomen spectant, absolvam, et quae ex varia lectione concepti, penitus exhaustam, duo observanda censui. Primum, quod praeter supra allatas nominis Mariae celeberrimas interpretationes, quas sanctorum Patrum communis consensus accepit, partim ex hebraica, ut mare, et maris stella,

illuminata, vel illuminatrix; partim ex syriaca, ut domina, vel dominans, alias singularissimas eiusdem significationes reperio. Prima est, quod Maria interpretatur *Dominus ex genere meo*: huius auctor est d. Ambrosius (de insti. Virg. c. 5); quae si vera interpretatio est, nemo sane poterit inficiari, nomen hoc non esse consonum rei, cum b. Virgo Christum supremum omnium dominum generit. Secunda est, Mariam significasse spem: hanc tradidit Epiphanius dicens: *Mariam interpretari solemus Dominam, atque etiam spem: peperit enim Dominum, qui est spes totius mundi, unde et ipsa dixit (Eccles. 24): Ego mater pulchrae dilectionis, et timoris, et agnitionis, et sanctae spei.* Tertia, ut idem polleat Maria, quod *imitatrix Dei*: hanc refert, et acceptat Episcopus Rutilius (lib. super Magnificat c. 22. dub. 5) hebraice idiomatis peritissimus. In eo autem potissimum sitam esse reor hanc imitationem, quod sicut Deus Deum generat, sic Maria eundem Deum genuit; et sicut Filius Dei ab aeterno fuit genitus de substantia Patris, ita idem secundum humanitatem in tempore genitus fuit ex substantia Matris; et sicut natus illa aeterna absque ulla corruptione fuisse nascitur, sic natus eiusdem temporalis Matris integratem non minuit, sed servavit. Alii tandem alias interpretationes assignant, quas idem Rutilius refert, nec refellit; nimirum, ut liceat interpretari, idem valere Mariam, quod *Deus de conceptu*, sive de partu meo, vel ut aliis placet, *de monte*, vel *de altitudine Dei*. Secundum quod observandum duxi, duplicem apud haereticos esse receptam Mariani nominis interpretationem, omnino a catholicis exorandam: impius enim Lutherus (in festo Ann. impug.) in postilla circa evangelium in festo annunciationis Mariae ait: *Mariam apud hebraeos idem sonare, quod aqua non, guttula, quae hydris adhaeret, quae si mori, aut magno fluxu coarparetur, nihil quidquam est.* Victorinus vero haereticus cum novatoribus et graeco idiomate nomen Mariae deducens, *miseriam* significare docuit; sed se catholicae Ecclesiae romanae hostes profiteretur; sibi serant has sycephanticas interpretationes, ex supercilioso eorum Marte mendacissime confectas; ad extenuandum clarissimum, ac sacrerimum Mariae nomen nihil magnum, aut excelsum illud significare nitentes, nos prisco eorum Patrum expositiones, ut patet est, suspicientes, ac venerantes, Mariam, *anarum, mare, Dominam, stellam maris, illuminatam, et illuminatricem* significare fatebatur. Sed nec possum, nec debeo Erasmi impiam audaciam non retundere, dum (in primum cap. Math.) grammatica inflatione intumescens, enixe postulat a nobis, ne *Mariam* per trisyllabum, sed per dissyllabum, *mariam*, vel *maria* pronunciemus: meminisse enim hunc satyrum oportebat, quod LXX. peritissimi linguarum interpretes, qui multis reo amnis b. Virginem antecesserunt, Mariae nomen amplexi fuerant, ac veteris testamenti libris illud inseruerant; unde tam Patres illius, quam istius, unanimi consensu trisyllabum Mariae semper usurparunt; quae igitur Erasmi impudentia est, qui mavult Ecclesiae dare legem, quam accipere? Meminis-

se etiam debebat, d. Paulum prophanas, et horridas vocum novitates longe fore ab Ecclesia Christi polysandans. Timotheum sicut discipulum docuisse. Quo ergo iure Erasmus de multiplici haeresi vehementer suspectus, sacrosancti et dulcissimi nominis Mariae mutationem in Ecclesiam Christi invohere gestit? Nos catholici, Ecclesiae romanae germani alumni, Mariam cogitamus, Mariam pronunciamus, Mariam invocamus. Marianus huius nominis singularis literas, nulla dempta, amplectimur, et veneramus, honorem nomini illius deferentes, quae auctorem vitae nobis genuit Dominum nostrum Iesum Christum, qui cum Patre, et Spiritu sancto vivit, et regnat in saecula saeculorum. Amen.

## HOMILIA IX.

In honorem natalis Deiparae Mariae, de eius excellentia sub metaphora libri disseritur in illa verba: Liber generationis Iesu Christi, quae variis animi conceptionibus exornatur.

Metaphoram hanc libri prosequitur, in medium producere compellit liberos omnes, quos sacra commemorant eloquia, inter quas a quibusdam mystice libri b. Virginis adnumeratur, qui profecto alios longe excedit. In illorum numerum primum refero librum vitae, cuius meminit Daniel (c. 12.) dicens: *Salvabitur populus tuus, omnis qui inventus fuerit scriptus in libro: de hoc libro loquutus est Christus Dominus, cum dixit (Luc. 10.): Exultate, quia nomina vestra scripta sunt in caelis; et Anglicus doctor de illo agens (in p. p. q. 24. art. 1.)* suae theologiae in hunc modum illum describit: *Liber vitae in Deo dicitur metaphoricè, secundum similitudinem a rebus humanis acceptam: est enim consuetum apud homines, quod illi, qui ad aliquid eliguntur, conscribuntur in libro, ut pole milites, vel consiliarii, qui olim dicebantur, Patres conscripti; patet autem, quod omnes praedestinati eliguntur a Deo ad habendam vitam aeternam; ipsa ergo praedestinatorum conscriptio dicitur liber vitae: haec ille. Quidam autem scribantur ibi, ut habituri vitam aeternam in se ipsa; alii vero, ut habituri illam in causa salutis, quia gratia, cuius ad tempus participes erant, semen esset causae vitae aeternae, de quibus David (Psal. 67.): *Delantur tibi libri viventium.* Est autem clausus ad liber iste, ut Ioannes testatur, vidisse illum septem sigillis obsequatum, et quod nemo, nisi solus Agnus, poterat illum aperire, quasi diceret; librum illum ad esse difficilem, ut solus Deus eius auctor sciret illum legere. Christus etiam Dominus sub libri metaphora designatur: Ieremias enim dixit (c. 32.): *Sume tibi librum emptiois hunc, qui apertus est, et pone illos in vas fictili; nomine quippe libri signati Verbum divinum intelligit cooptum, velut membrana, fictili carne.* Hic ergo liber Christus Dominus dicitur fuit, cum semel loquutus est Deus, ex propria substantia verbum eructans; fuit ligatus in officia uteri materni, quando vinculo,*

et ligamine unionis hypostatice coniuncta fuit caro Verbo; seu, ut ait Ioannes (c.1.), quando *Verbum caro factum est*: fuit praecisus, aut rarus in circumfusione, cum minister illius ex infantili carne pelliculam delatit; aut praecidit; fuit concussus, cum alapis, et fistibus eum graviter percutiebant; fuit compressus in torculari, quando, ut ipse dixit (Isai.63.): *Torcular calcavi solus*; fuit tandem purpureo colore rubricatus, quando rubicundo suo sanguine fuit undique respersus. Accedit ergo ad hunc librum evolendum, legendum; ac perlegendum avarus, ut in effusione tam pretiosi sanguinis ad discat liberalitatem; accedit invidus, ut ad discat charitatem, quam nulla maior excogitari possit, qua quis ponit animam suam pro amicis, et inimicis; accedit iracundus, et ad discat patientiam, et mansuetudinem ab eo, qui, ut agnus coram fondente se obtulit, (Aetor 9.) Hi duo igitur libri, liber scilicet vitae aeternae, et Christus Dominus, praestantissimi omnium sunt, et cum quibus nullas alius valet comparari; unde oportet, eos iam commemorare, quos mysticus liber b. Virginis longo intervallo praecellit. Hic primus, et antiquior est, haec, quam cernimus, mundi fabrica; quam metaphoram usurpans d. Ioannes (in Apocal. 6.) dixit: *Cochlem recessit, sicut liber involutus*. Huius libri lectioni qui vacant, in creatione legitur Dei omnipotentiam tot mirabilia producentem; in communicatione, Dei bonitatem copiose adeo se in omnia effundentem; in gubernatione, et universi regimine infinitam eius sapientiam, et providentiam; ut enim dixit d. Paulus (Rom. 1): *Invisibilia enim ipsius a creatura mundi per ea, quae facta sunt, intellecta conspiciuntur*. Verum rudes peccatores, instar ignorantium puerorum, figunt tantum obtutum, et amorem in aureis literis, quibus liber hic universi conscriptus est; sensum tamen, et intelligentiam earum minime penetrantes, de quibus Isaias (c.29) praedixit: *Erit vobis visio omnium quasi verba libri signati*: ad viri iusti, et sancti ex fabricae huius mundialis attenta consideratione in altissimam divinorum attributorum contemplationem rapiuntur. Secundus liber est conscientiae, qui lametis in praesenti vita signatus, et involutus sit, in futuro tamen iudicio apertus, et reseratus erit, ut his verbis testatur Daniel propheta (cap.7): *Libri aperti sunt, et iudicium sedit*. Ex his libris qui correctus non reperitur, sed aliquo commaculatus errore, reprobatum, et cum aliis bibliothecae libris minime apponetur; in cuius figura apud Ieremiam (c.51) lego, iussisse Deum librum, in quo scriptae erant maledictiones Babylonis, alligari, et mitti in Euphratem; quibus versibus poenam damnatorum designari satis perspicue omnibus constat. Tertius liber est sacrae Scripturae: sic enim eum vocat propheta Baruch (c.4): *Hic liber mandatorum Dei, et lex, quae est in aeternum*: huius libri auctor fuit Spiritus sanctus, quia illum dictavit, scriptores illius fuerunt canonici auctores, expositores, sacri doctores, fideles lectores illius, quos instar venefici incantantis sapienter, mirifice incantat, ac rebelles eorum voluntates ad Deum venire compellit, ut per-

lepidè his verbis dixit Origenes (hom.20 super Ioan.): *Velut incantatione quadam nocivorum veritatum: quae tibi insidiantur, virus depellitur; et fugatur, si tu non efficias sicut aspersione surda, quae non audit vocem incantantis sapienter*. Licet autem liber hic variis difficultatibus involutus sit, nemo ab hac obscuritate deterritus ab huius lectione se arcere debet: nam ut egregie dixit d. Chrysostomus (hom.3. de Lazaro): *Etiam non intelligas ipsa recantata, tamen ex ipsa lectione multa nascitur sanctio, et simul atque tetigerit aliquis evangelium, mox componit suam ipsius mentem, et a rebus mundanis abducit, idque ex solo ipso aspectu, solo etiam auditu, licet mysteria non intelligat*: haec ille: et quidem Ambrosio (ser. 35.) dicente: *Sacrae Scripturae lectio refectio est, quae saginat animam, quae impingunt viscera, ipsa est, quae vitam aeternam tribuit, et insidias a nobis diabolicae tentationis excludit; non potest non esse animae valde fructifera; immo, si iusta est, dulcis, et suavis, consilio conditionem illam addidi, si iusta est; nam sicut aetate dixit s. Chrysostomus: Mel natura sua dulcedinem habet, atque adeo invidiosissimum, sed aegrotis amarum quid est, non propria, sed illius aegritudinis natura: non secus divinae Scripturae lectio, si cupiam minime dulcis, sed insipida, et amara est, id non naturae illius, sed aegrotanti suo gustui adscribat. At, ne a principali nostro instituto digrediamur, in memoriam quaeso revocate prophetica illa verba Isaias (8) secundum lectionem l.XX. Interpretum: *Dicit Dominus ad me: Sume tibi librum grandem, scribe in eo stylo hominis*. Haec verba duplicem congruum satis expositionem sustinent praesenti argumento valde accommodata. Prima est, ut illa intelligantur de libro generationis Iesu Christi, quem d. Matthaens contextit: novitas enim, et magnitudo in illo satis elucet, cum, et testamentum sit novum, necnon hactenus inaudita de Filii Dei generatione in aeternum Virginis enarret; esse autem hunc librum scriptum stylo hominis, ex titulo, et scopo illius satis superque liquet, cum eo tendat, ut Deum, hominem factum, et Filium Davidis ex Virgine conceptum commonstrat: sicut enim b. Matthaes evangelistae divina electione, inter illa quatuor animalia, facies hominis contigit, sic illi datum fuit, humanam Filii Dei generationem ex Maria specialius, et uberius enarrare. Secunda expositio sit, quae Marianam excellentiam non parum commendat, ut, sub nomine libri, de quo Isaias in praedictis verbis, b. Virgo designetur, ut docuit d. Epiphanius (lib. cont. haeres.): cuius rationem assignat d. Antonius (4. p. tit. 15. c. 5. §.1) dicens, b. Virginem Mariam librum esse, quia continet in se divinam sapientiam incarnatam: et ante illum d. Damascenus (orat. 2. de dormit. Delpa.) de Virg. sepulcro loquens, ait: *Ubi novum rotulam, in quo ineffabiliter Dei Verbum sine manu inscriptum fuit*. Spiritus sanctus enim, ut docuit me d. Ambrosius (super Luc. c. 7. et Ps. 50. in illa verba: *Domine labia mea aperies*) scriba fuit, qui Virginem obumbrans, in ea, tamquam in mundissimo volumine carnis Filii Dei scripsit, atque efformavit, non calamo, et atramen-*

to, sed sanguine purissimo Mariae, et virtute ex alto illam fecundante, ut loquitur d. Paulus (2. Cor. 3), scripta non atramento, sed spiritu Dei vivi: idque sibi voluit verba illa (Isa. 8): *Scribe in eo stylo hominis: in mente Patris scriptus fuit Filius stylo Dei, Deum de Deo, ut docet symbolum Nicaenum; in ventre vero Matris stylo hominis: quod et indicavit angelus, dicens (Luc. 1): Quod ex te nascetur sanctum, ecce stylo hominis: vocabitur Filius Dei, ecce stylo Dei: Adeo autem velociter eam scripsit, iuxta illud (Psalm. 44): *Lingua mea, calamus scribae, velociter scribens*, ut unico temporis momento totum incarnationis mysterium peregerit, quo nihil velocius dici potest: unde d. Damascenus (li. 3. de fd. c. 2) dixit: *Non paulatim per additamenta, sed uno momento, et contextu formata est perfecta caro Christi, simul caro, et Dei Verbi animata caro*. Est etiam sacer hic liber Mariae novus valde, ut praedixit Ieremias (c.31): *Creavit Dominus novum super terram, foemina circumdabit eam: quid quaeso, magis novum, et inauditum, quam quod virgo manens, virgo concipiat, et pariat? Quis audiret unquam tale? quis vidit huic simile? unde etiam liquet, librum hunc intus scriptum fuisse pro fecunditate, foris vero per integritatem virginis clausit, minime unquam violati. Sane Salomon dixit (Eccles. 1): *Nihil solo novum, nec poterit quis dicere: hoc recens est; et si librum hunc novum consuluerit, et magnum pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne Christi, attente legisset, et continuo admiratione correptus, absque dubio diceret: hoc novum est sub sole, quod Deus supra solem absconderat, et in tempore dignatus est nobis manifestare*. Unde d. Cyriacus (ser. de Nat. Dom.) eleganter dixit: *Norum est, et inauditum quod in materni angustia uteri circumdedit intra se fragilis caro virtutem Altissimi, quem nos parvulum, prophetas nuncupaverunt virum, insinuantes, et nunquam defuisse virtutum, sed semper virilis aetatis habuisse fortitudinem, quem infantilis infirmitas occultabat: O foemina super foeminas benedicta! haec ille.***

Porro hunc librum grandem esse, ut dixit Isaias (c.8), illud unum aperte commonstrat, quod sit rerum naturalium virtutes, ac mirae proprietates ad unguem describendae forent, oportere librorum numerum in infinitum abire, Salomone dicente (Eccles. 12): *Faciendi plures libros nullus est finis; et, si cuncta opera Christi Domini adamussim fuissent commemoranda, arbitratur Ioannes (c.21), nec ipsum mundum capere posse eos, qui scribendi sunt, libros*. Nihilominus tamen grandis adeo fuit Marianus hic liber, ut, quem totus non capit orbis, ipse se in se clausit, Ecclesiae catholica canente: *Sacra, et immaculata virginitas, quibus te laudibus efferam, nescio, quia, quem coeli capere non poterant, tuo gremio contulisti*. Grandis proculdubio liber, in quo fuerunt omnes thesauri sapientiae, et scientiae absconditi, et in quo tota potentia divinitatis corporaliter habuavit (Caloss. 2). Libro ergo, qui infinitum, et immensum capere, nullus quidem maior, aut capacior excogitari potest. Sed et arbitor, b. Virginem alio singulari nomine *Libri generationis* nomen-

CARTHAGENA DE B. M. V.—Vol. I.

claturam sibi vindicare, quia nomine generationis in sacra Scriptura non solum proles conceptio, sed et opera ipsa, quae sunt velut hominis partus, veniunt intelligenda: unde apud Isaiam (c.38) rex Ezechias loquens de vita sua, dixit: *Generatio mea ablata est: praecisa est, velut a tezene, vita mea*. Quare in hoc sensu idem erit liber generationis Iesu Christi, ac liber vitae, et operum Salvatoris; liber, inquam, ex diametro oppositus libro illi Genesis, cui Moyses hunc titulum dedit: *Liber generationis Adae*, id est, liber, non solum filiorum, sed et operum Adae, quae liberi arbitrii proprii filii sunt; hoc est, liber inobedientiae, praerogationis, incredulitatis, intemperantiae, et simulionis, quae in libro Genesis de Adam commemorantur. Sicut ergo veteri Adam contraposuit Deus secundum, hic veteri libro generationis Iesu Christi, hoc est, clarissimum operum, doctrinae, miraculorum, vitae, mortis, victoriae, et triumphi illius. Fuit ergo aeternus beatissima Virgo, *Liber generationis Iesu Christi*, quatenus, praeterquam Verbum Patris in ea scriptum fuit, Spiritus sanctus in corde eius scriptis opera Christi Domini multo profecto mirabilibus, quam in quocunque alio volumine unquam fuerint exarata; ipsa quidem Virgo indelebilitur in corde suo, quasi in libro scripta, conservavit, iuxta illud (Luc. 2): *Maria autem conservabat omnia verba haec, confersens in corde suo*. Ex his omnibus facile erit deprehendere, excellentiam huius libri super omnes libros huc usque in lucem editos, et in posterum edendos: ut enim sapienter dixit d. Antonius (4. p. tit. 15. c. 22 n.9): *Quanto facta sunt potiora verbis, vel scripturis, tanto sunt ostensa maiora in Maria, quam in Scriptura per Deum: nam Scripturae dedit, ut Deum loquatur, Mariae contulit, ut per eam Christus pandatur; ibi cum multiplex legitur figura, hic vestit eam Mariae caro pura; ibi pronunciat, hic ostendit; ibi latet in mortua charta, hic patet in carne monstrata; ibi dicta sunt magna, hic fecit, inquit, mihi magna qui potens est*.

Ac tandem, ut paucis multa comprehendam de excellentia huius libri, in eo Deus non solum reliquorum sanctorum eximias virtutes exaravit, ut Abelis religionem, Noe credulitatem, Abrahae obedientiam, Isaacis patientiam, Iacobi tolerantiam, Iosephi castitatem, Davidis mansuetudinem, ac Salomonis sapientiam; sed et divinas perfectiones, quas sparsim in reliquis aliis libris canonicis scriperat, in hoc libro b. Virginis summo artificio compilavit. Si enim in Genesi elucet potentia in mundi creatione; clementia in Exodo (c.14) in liberatione populi israelitici; religionis cultus in Levitico, in oblationibus; et sacrificiis; patientia in libro Numerorum; fortitudo in libro Iosue; providentia in libro Regum; longanimitas, et misericordia in libro Iudicum; sapientia, et consilium in libris Salomonis; ardens Dei amor in libris Canticorum; apostolica perfectio in libris Evangelistarum; abdita mysteria sacrae arcani in libro Apocalypsis; omnia haec in hoc uo Mariano libro manus supremi, ac peritissimi scribae compendio copulavit, et in unum coniunxit.

Verum circa proposita verba Isaiæ illa occurrit difficultas necessario enodanda, quomodo Deus præcepit Isaiæ, ut sumeret librum grandem ad describendum duo brevissima verba: *festina, prædare*; quæ tamen brevissima charta comprehendi poterant? et contra vero Ezechielii (4) iussit, ut ad describendam magnam, ac populosam illam civitatem Jerusalem, obsidionem, et munitionem eius, parvum acciperet laterem, in quo cuncta hæc delinearet: *Fili hominis, sume tibi laterem, et pones eum coram te, et describes in eo civitatem Jerusalem. Et ordinabis adversus eam obsidionem, et ædificabis munitiones?* Sane id existimaverim fecisse Deum, ut, et maiestatem ac celsitudinem Christi Domini, et vilitatem omnium terrestrium honorum nobis demonstraret: illa enim tanta est, ut infinita etiam volumina paucissima de indicibili dicere possint; hæc vero adeo exigua, ac parvi momenti sunt, ut luteo latere concludi possint, et, ut stercorea, cum d. Paulo propter Christum contemti, et calcari digna censi debeant. Cui sit honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

## HOMILIA X.

*Genealogia b. Virginis varis similitudinibus mystice illustratur in illa verba: Liber generationis Iesu Christi.*

Sab metaphora libri non semel sacra Scriptura cor humanum intelligit, in quo Deus digito suam legem scribit: unde per Ieremiam dixit (c. 31): *In corde eorum scribam eam, et ero eis in Deum*; quia etiam phrasi Deus ipse utens, dixit (Hebr. 8): *Dabo leges meas in mentem eorum, et in corde eorum scribam eas*. Docent philosophi: *Cor quod est principium vite, primum omnium a natura efformari, ultimum vero oculos, a quibus sane nihil vita cordis dependet*. Hinc hæc obscure colligitur, abditæ sacrosanctæ legis arcana, quæ in corde divinus Spiritus scribit, non esse rationis oculis discutienda: sicut enim cordis vita ab oculis minime dependet, ita, nec divinum arcana veritas ab humane rationis oculis dependentiam ullam habet. Est tamen observandum, quod, teste Plinio (de hist. animal.), cervis, et lepribus cor maioris magnitudinis tribuit natura, quam aliis animalibus, utpote animalibus timidioribus, et pusillanimatoribus: unde experientia constat in hominibus, qui minore corde præditi, animosiores, qui vero magno, pusillanimatoribus sunt. Cum ergo Deus legem suam, velut in libro scribat in corde humano, sane illud aptius erit cor, quod exiguum magis, ac parvum fuerit in oculis suis: hæc enim sibi volunt verba Christi Domini (Math. 11): *Confiteor tibi Pater, quis abscondisti hæc a sapientibus, et prudentibus, et revelasti ea parvulis*. Faxit Deus, ut inter hos parvulos connumeremur; sic enim divini huius libri arcana facile nobis aperiantur. Exordiamur ergo illa reserare, per verba illa Cant. (capite 3): *Herculeum fecit sibi rex Salomon, de lignis libani: colum-*

*nas eius fecit argenteas, reclinatorium aureum, ascensum purpureum: media charitate constravit, propter filias Jerusalem*. Currus ille adumbrat genealogiam hæc Christi Domini, in qua velut curru ex coelo in terram venit. Ex quo velut curru compositum erat ferulum illud Salomonis, ex lignis libani, columnis argenteis, gradibus purpureis, et reclinatorio aureo; in medio autem illius divinus amor aderat, animas ad se, velut magnes ferrum, pertrahens: in hac Christi generatione similia reperio: incorruptibiles libani adsunt, patriarchæ scilicet, illi incorruptibilis fidei parentes, qui Deo fidelissimi existenter, Abraham, Isaac, et Jacob: adsunt gradus purpurei, reges scilicet regali purpura induti, per quos, tamquam per maiores suos, Christus descendit: adsunt columnæ argenteæ, nimirum celebres illi prophetae, qui a babilonica captivitate b. Virginem processere, qui velut argenteum sonora voce, et clamore adventum Christi Domini importune efflagitabant (Isai. 16): *Emitte agnum dominatorem terræ: Mitte quem missurus es: adest etiam reclinatorium aureum, sacratissima scilicet Deipara Maria, in qua Filius Dei per novem menses reclinavit, delituit, meritoque reclinatorii nomine nuncupatur, quia reclinatorium, ut egregie adnotavit autor Sylvæ allegor. (ad verb. reclinare) locus est, in quo quis inclinando se aliquid collocat. Cum ergo divina maiestas in utero Virginis carnem assumens adeo se inclinaverit, ac demiserit, ut Apostolus dicat (Philip. 2): *Ezinanietis semetipsum, congrue reclinatorium illud Mariam adumbrabat: nec tandem defuit huic mystico ferulo amor divinus, dicente Evangelista (Matt. 1): De qua natus est Iesus, qui verus amoris Deus est; et Ecclesie cathol. canit:**

Iesu nostra redemptio, — amor, et desiderium:

quam expositionem approbat Legionensis in Comment. huius loci dicens: *Charitas est ipse Salomon in sella sedens*; constat autem Salomonem umbram, et typum fuisse Christi. Illud tamen, etsi obiter, observare non prætermittam, quid sit, quod sacra Scriptura de lecto Salomonis, quo dormiebat, et non de curru, quo ferebatur, dicit, multis custodiibus stipatum esse (Cant. 3): *En lectulum Salomonis! sexaginta fortes ambiunt illud ex fortissimis Israhel*; omnes tenentes gladios, et ad bella doctissimi; cum tamen e contra se res habere solet: reges enim, cum e regali domo sua egreduntur, magno custodum comitatu arma in manibus tenentium, quasi ad defensionem promptissimi, et paratissimi sint, incedere solent; dormientes vero minime hæc tanta custodia mununtur. Ego sane malle alios in solutione huius difficultatis audire, quam aliquid ingratum proferre: mihi solum occurrit, Spiritum sanctum consulto meminisse militum lectulum Salomonis custodientium, ut somni periculosa ante oculos nobis poneret: inter arma enim, quibus daemones expugnare solet animas, non minoris momenti est somnus: pygmæi, a liocin infirmi, et imbecilles non audentes fortissimum Herculeum aggredi, dormientem ta-

men facile expugnant, ut ad somni damna propaganda ingeniose fluxit auctor Emblematum (Aciat. emb. 18). Mille philisthaei, ut sacra narrat Iudicum historia (Iudi. 16) fortissimum Sansonem, velut pueri gigantem, metuebant, nec quidquam nocuenti et inferre poterant; dormiens tamen ab infida Dalila manibus, et pedibus ligatus fuit, et capillus eius tendens, vires, quæ ex illis pendebant, pariter abrasit. Holofernes similiter, qui a populo Dei valde timebatur, dormiens a Iudith proprio eius mucrone fuit iugulatus (Iudi. 13). Quid plura? certe venti, et turbine, quæ alioquin Christum Dominum reverebantur, et ei se subiciebant, illo tamen dormiente, naviculum, quia vehebatur, acriter infestare, et conqussare coeperunt (Matt. 8): *Ece motus magnus factus est in mari, ita ut navicula operiretur fluctibus; ipse vero dormiebat*. Ut igitur Spiritus sanctus manifestaret, somni damna nobis valde præcavenda esse, lectulo Salomonis adhibuit custodiam, non curru; quia in illo dormiebat, in hoc vigilabat. Probe quidem agnoverat hæc doctrinam index ille nomine, *Turbos*, qui ut refert *Textor*, ab imperatore monitus, ut propriae salutis maiorem curam haberet, et somno amplius vacaret; respondit: *Caesaris iudicem oportere stantem mori*; quo significare voluit, vigilem semper debere esse, et non somno deditum.

Sed et aliam Hugonis (super c. 3. Cant.) eorundem verborum mysticam expositionem adnectamus. Per *ferulum* intelligit b. Virgineum, in qua, velut in sede gestatoria, ductus est Filius Dei in mundum; fuisse autem ait hoc ferulum ex lignis Libani, quæ celsitudinem, et fragrantiam redolent, quia prædestinavit Virgineam nascituram ex parentibus ex regia prosapia oriundis, fragrante sanctitatis odore præditis: quod autem Spiritus sanctus subdit: *Media charitate constravit propter filias Jerusalem*, id iucundissimum nobis nuncium adfert: nam cum b. Virgo mediatrix sit inter Christum, et nos, idecirco media charitate propter filias Jerusalem constrata dicitur, quatenus fidelium commodis semper incumbat; sicut, et Christus ipse, mediator Dei, et hominum est, qui a salute nostra quaerenda nec per momentum cessabat. Possumus etiam eadem verba aliter explicare, ut media charitate constrata dicatur, quatenus Deus, qui charitas est, velut rex Salomon, in medio utri ipsius, carnis purpura indutus sedeat: quam expositionem satis indicat alia translatio, dum veritit: *Medium eius combustum charitate ex fitibus Ierusalem*: nomine enim combustum Deus homo factus designatur, cum frequenter sancti patres unionem Verbi divini cum humana carne per carbonem igitum, vel per ferrum candentem explicent, nam sicut ferrum, et carbis realiter distinguuntur ab igne, et ignis natura minime in ferrum, nec ferri substantia in ignem mutatur, et tamen ita inter se uniantur, ut nulla pars ferri sit, quæ non sit ignis; ita humana, et divinitas in Christo realiter distinctæ, et impermixtæ manentes, intime adeo inter se unite sunt, ut nulla sit pars humanitas, quæ divinitatis igne succensa non sit. Ut

autem magis innotescat, quæ ante Christus Dominus ingeniose fluxit auctor Emblematum illa pictura, quæ poetæ amorem descriperunt, si prophana in sacra commutamus, hæc difficile erit demonstrare. Effigies eius parvuli erat: describatur nudus, immo caecus, non quia oculis caret, sed quia vita illos cooperfos habebat; alatus deinde, ac pharetram sagittis plenam gestans. Sane si amor puerulus est, non Christum Dominum infantulum, quem Isaias describit (Isai. 9): *Parvulus natus est nobis*; si nudus: ecce Iesum dicentem (Job 1): *Nudus egressus sum de ventre matris meæ*; si caecus effingebatur, quia licet alioquin oculatissimus sit, caecus tamen est, ne videat peccula, et miserias, quibus se subicit propter delictum, certe parvulus iste, qui natus est nobis, etsi ita oculatus sit, ut interna humani cordis perlustret, ac perscrutetur, amoris tamen sui veluti vilita quadam alligatus, quasi non videns esset, miserias omnes, et cruciatibus, quos subitus erat, pro humani generis redemptione totum pretium usque ad ultimum, ut aiant, quadrantem effluere non dubitavit: quod si simulacro amoris addechantur alæ, quibus significatam mirabilem celeritatem, quæ quocumque vellet, advolaret; certe Isaiæ Christus non deficiente, David dicente (Psal. 18): *A summitate coelo egressus eius, et Malachia (cap. 4): Sanctus in pennis eius*; propter velocitatem enim lanam pennarum Iesus Deus Isaiæ hoc illi nomen imponere (Isai. 8): *Voca nomen eius: accelera*; et hinc est, quod recess conceptus advolavit in montana in utero matris inclusus (Luc. 1). Denique pharetram etiam in Christo parvulo videre licet: quandoquidem antiqui pharetra amoris effigiem accingebant; ac vero est Christi caro, de qua in ista expositione Cyrilli, et Procopii (super Isai. 42) Verbum divinum dixit: *In pharetra sua abscondit me*: ex hac pharetra tot sagittas emisit, ut non solum propinquos pastores, sed et remotissimos reges, necnon et coelestes spiritus iaculis amoris sui ferret, ut non immerito id prævidens regius Vates, dixerit (Psal. 44): *Sagittæ tuæ acutæ, populi sub te cadent*. Cum ergo amor omnes notæ in Christum Dominum apte conveniant, merito illic in medio ferat, hoc est, utri Virginis, considerare asserrimus, ut propterea media charitate constratus dicatur.

Ad hæc merito hæc Deiparæ Mariæ genealogiam sacer evangelista librum vocavit: concevit enim, cum sumptuosum aliquid adificium in aulam principis fabricatur, ab oeconomio eius, vel operum præfecto liber aplari, in quo singulos sumptus per varia capita describit, deinde in fine illius compendiosam quandam summam reliquas minutiore in unum continentem apponit; non secus sacre evangelistæ, cum hæc provinciam inter alias assumpsisset, ut magnificentissimos sumptus, quos auctor divinæ gratiæ confecerat in ædificatione Marianæ aulae, ac regiæ domus, in qua ipse habitaturus erat, Ecclesiæ catholice manifestaret, librum hunc generationis scripsit, in quo tot capita apposuit, quod reges, et prophetas numeravit. In primo enim capite ad mysticum ornatum huius domus re-

fert Davidem, qui de gigante Goliath gloriosam victoriam reportavit (1. Reg. 17); ut inde in memoriam revocemus Virginis fortitudinem antiqui serpentis caput conterentis: in secundo capite refert Abraham, Deo adeo obedientem, ut non dubitaret, divino praecepto obaudiens proprium filium in holocaustum Deo offerre: quod sane ob oculos nobis ponit insigniorem Virginis obedientiam, quae non dubitavit unigenitum filium suum, quem ardentius multo, quam Abraham diligebat (Gen. 29), Deo Patri in ara crucis offerre. In alio deinde cap. adducit patriarcham Iacob ardentissimo Rachelis amore flagrantem (Gen. 29), qui seraphici amoris, quo Virginis animus aestuabat, memores nos reddit. In alio etiam cap. sapientissimum Solomonem proponit, ut Virginis sapientiam commendaret, in qua cum aeterna Dei Sapientia corporaliter habitasset, non poterat sapientissimo Salomone ipsa sapientior non esse. His iam propositis capitibus varios sumptus ad mysticam hanc Virginis aulam necessarios commemorat, tandem in calce ad fine libri, quasi omnes illos ad compendium, et summam reducens, beatissimam Virginem Mariam adscribit (Matth. 1): *De qua natus est Iesus: quibus sane brevissimis verbis tot, ac tam stupenda Virginis encomia conclusit, ut sola divinae sapientiae clavis illa aperire, ac reserare valeat: ut Isaiae liber B. Virginem adumbrans non obscure significavit, dum de illo ait (Isa. 29): Sicut verba libri signati, quem cum dederint scienti literas, dicent: lege istum; et respondebit: non possum: signatus est enim, et vidit Ioannes (Apoc. 5) signatus sigillis septem, quos nemo nisi Agnus aperire poterat: unde, quemadmodum beati in coelo non valentes Dei maiestatem verbis exprimere, brevem illum concentum usurpant (Apoc. 4): Sanctus, sanctus, sanctus; ita Evangelista videns impossibile sibi esse, universas animi dotes, ac supernaturalia Virginis ornamenta stylo prosequi, omnia illa ad hanc summam, et compendium reduxit (Matth. 1): De qua natus est Iesus: quod adeo excellens est, ut ex illo facile sit, permagica atque stupenda Mariae praecognitione conicere. Unde sicut olim Iosue, et Caleb, ut sacra Numer. narrat historia, ingressi terram promissionis, ut foecundiorum, et opulentiorum esse, quam verbis exprimere possent, significaret, hoc usi fuerunt artificium (Numer. 13): Abscederunt palmitem eam uca sua, quem portaverunt in vecte duo viri, ut ex fructu illo pulchro adeo, atque copioso, eximiam terrae promissae foecunditatem facile venerunt: non secus sacer, evangelista Matthaeus impossibile indicans, mirabilem Virginis foecunditatem, ac omnium virtutum generum opulentiam verbis exprimere posse, ante oculos nobis ponit Iesum, benedictum fructum ventris illius, ut ex eius excellentia, virginicae ac sacrosanctae illius terrae mira virtutum deprehendatur, quasi diceret: ecce pulcherrimum ac suavissimum fructum, conicite inde foecunditatem telluris illum germinantis.*

Ad haec inter alias difficultates, hanc enodandam proposuit Deus olim Iob (cap. 40): *An extrahere poteris Leviathan hamo? iterum cum*

*ipse eam non solverit, oportet solutionem eius alibi investigare: unde placet locum hunc praegrosius instituo accommodatum explicare. D. Gregorius (lib. 3. moral. c. 9) Leviathan, daemone praenolare ait: quia significat additamentum. Daemone autem multa addidit super divinum praeceptum, quae a Deo primis parentibus minime fuerant proposita: nam illo dicente (Gen. 2): In quacumque die comederis ex eo, morte morieris, daemone addidit haec verba: nequam morieris: immo postea secundo addidit (Gen. 3): Eritis sicut Dei, scientes bonum, et malum: ecce pollicitus fuit non solum vitam immortalam, sed deitatem, et scientiam Dei. Qui ergo haec mendaciter addidit, veraciter Leviathan dicitur, quod interpretatur, additamentum. Quis ergo, inquit Deus Iob, tanta arte praedixit erit, ut Leviathan hamo extrahere possit? sane nullus alius, nisi Christus Dominus, ut non obscure liquet ex eius genealogia. Piscator quidem in hunc modum piscari solet, tenet manu arundinem, aqua pendet linea, in cuius extremitate adest hamus, et in hamo vermis, ad quem accedens piscis, mordet, faucibus, et manet suspensus. In hac genealogia arundo non desideratur, per quam peccator significatur, iuxta illud Christi Domini (Matth. 11): *Quid existis in deserto videre? arundinem vento agitatam? non enim una, sed plures arundines peccatorum reperiuntur: linea propago est illa Patrum antiquorum, ac vicissitudo generationum usque ad Mariam Virginem; in cuius sane lineae extremo hamus adest Christus Dominus, qui cum in eodem supposito humanam, et divinam contineat naturam, ratione divinae hamus est, ratione humanae vermis, et esca (Psal. 21): Ego sum vermis, et non homo. Misso ergo Christo Domino in aquas huius fluentis saeculi, diabolus Leviathan ad vermem humanitatis illius accedens, ac mordere tentans, divinitatis hamo captus fuit, et genus humanum liberatum: quod et Rupertus (in c. 1. Matth.) et Beda (hom. de Nativ.) disertis verbis docuerunt: nam ille ait: Veluti hamus Christus in mare huius mundi missus serpentem cecidit; hic vero: Generatio Christi quasi longa piscantis linea est, cuius hamus subligatus carne operitur; sed et ante illos d. Isidorus dixerat (lib. 1. de sum. bono cap. 16): Est in Christo hamus divinitatis, esca caro. Hanc ergo carnem, qua captus est Leviathan, genuit b. Virgo, de qua natus est Iesus.**

Praeterea quemadmodum Salomon olim in porticu ante fores templi illius, quod extruxit, duas columnas statuit, et super capita columnarum opus in modum liliis posuit (3. Reg. 7); ita etiam Matthaeus, veluti in porticu genealogiae Christi, ante portam coeli, idest Virginem Deiparam, quam felicem coeli portam appellat Ecclesia, columnas duas, Abrahamum appello, et Davidem, quos ob firmissimum Messiae fidem, et stabilem spem merito columnas appello; id enim et nomina ipsarum columnarum protendunt, cum altera *Iachin*, quod *firmi-tatem*, altera *Booz*, quod *fortitudinem* sonat, nominarentur: stabilis fuit, ac firmissima Dei de Messia promissio Abrahamo atque Davidi facta, quae nullis hominum sceleribus

labefactari, aut infirmari unquam potuit. Columna quidem fuit firmissima Abrahamus, dum, postquam promissionem acceperat de Messia ex filio suo Isaac oriundo, iussus illum occidere, nihil de promissione dubitans, libenter obediit: firmissima columna fuit David, quam nec fortissimus Goliath commovere, neque mutissimae hostium phalanges expugnare, ut a proprio loco devellere poterunt: super has columnas positum est pulchrum illud lilium, de quo in Cant. (cap. 2): *Ego flos campi, et lilium convallium*: et quemadmodum, qui Salomonis templum ingrediebantur, decem mensas aureas cernebant, altare aureum, panes propositionis, et multa aurea candelabra; sic post duas illas columnas, Abrahamum, et Davidem, qui in hanc genealogiam Matthaei invadimus, Isaacum, Iacob, ceterosque patriarchas, aureas veluti mensas cerimus, minime quidem vacuas, cum bonorum exemplorum epulis referatissimae sint: intuemur aurea candelabra, Salomonem, et alios reges, qui merito candelabra dicuntur, quia populo verbo, et exemplo praelucere debebant: et sicut in extremo templi loco, qui *sancta sanctorum* dicebatur (2. Paral. 3), aureum propitiatorium, necnon et duo cherubim aderant, qui velo tangebantur, ita in sacrae huius genealogiae extrema parte adest humanitas Christi per arcam illam significata, in qua non mamma, non tabulae legis, non virga Moysis, sed plenitudo divinitatis corporaliter latebat: quod si cherubini illi, alter sub forma foeminae, alter sub forma viri efformati erant, ut in eodem loco adnotat non pauci doctores hebraei, et tradidit Arias Montanus in suo apparatu, hic certe adsunt Maria, et Ioseph, sacram illam arcam concomitantibus, qui merito cherubin dici possunt: nam praeter limpidissimum Dei cognitionem, quam ex familiari cum aeterna Dei Sapientia consortio, velut ex perenni fonte hauserunt, non semel eorum brachia sedes Christi fuerunt; David autem dicit (Psal. 79): *Qui sedes super Cherubim*: quod si omnia illa ibi velo tangebantur, similiter hic, quanta dignitatis Christus esset, quanta Virgo, quanta Ioseph eius sponsus, nos omnes laet; necnon etiam Christi hominis divinitas, intemerata Mariae virginitas, Ioseph eximia castitas multis prorsus erat ignota. At sicut ibi scissum fuit velum a summo usque deorsum, et quae latebant, paluerunt; ita per fidem Christi sacrosancta mysteria orbi universo per concionatorum voces evulgari, et propalari coeperunt; ut tradidit d. Ioannes dicens (Apoc. 11): *Aperitum est templum Dei in coelo, et visa est arca testamenti eius in templo, et facta sunt fulgura, et voces.*

Tandem, ut aliam iam subiciamus similitudinem, contingit aliquando ei, qui iter facit, ut inveniat fontem uberrimum, ex quo maxima aquarum copia emanat; dum vero ulterius progreditur, desiderans sitim extinguere, aqua oculis eius laet, quia tot interponuntur arbores, iunci, herbae, salices, et similia, ut nulla ratione videri possit; tandem vero illis pertransactis, eandem aquam intuetur, qua sitim abunde explere potest: ad eundem modum, dum

noster evangelista exorditur librum generationis Iesu Christi, fontem aquae, divinae scilicet gratiae, salientis in vitam aeternam, nobis aperit, sed continuo tot progenitorum Christi frondosae arbores interponuntur, ut iam amplius non videatur aqua, quae e fonte emanat; omnibus tamen his generationibus transactis intueri possumus eundem aquae vivae fontem, cum Mariano ductu coniunctum, evangelista dicens (Matth. 1): *De qua natus est Iesus, qui vocatur Christus*. Deinde sicut pharmacopola sumptis multis herbis, et floribus, ex eis exprimit succum, quod ubi praestitit, de herbis, et floribus non curat, sed succum in vase quodam reponit, et custodit; sic videtur se gessisse noster evangelista: propositus ob oculos varias herbas, et multos flores sanctorum patriarcharum, ex quibus expressit succum virtutum, et bonorum operum, quem in vase Mariae collocat, et custodit, dicens: *De qua natus est Iesus, qui vocatur Christus*. Tandem mysticam aliam intelligentiam silentio non praeteribo, ad hoc idem argumentum magis locupletandum. Inviolabilis quidem viguit lex apud omnes militares religionis, ut antequam insigne crucis eis conferatur, de sanguinis sui puritate, ac generis nobilitate prius constet; ad quod explorandum alii equites eisdem ordinis designantur, qui quamplures testes perquirunt eorum nobilitatem attestantes: id quod ex duplici praecipue causa sibi fieri decet; prima, quia indignum est, et rationi dissonum, ut quorum progenitores ad ignominiam Christi Domini crucem super humeros imposuere, fidem ad honorem, et gloriam, crucis signaculo, nobilitatis indicio, peccata sua decoret: secunda, nam cum huiusmodi equitibus credi soleant res magni momenti, certe nisi praecleara indole, sanguinis nobilitate, ac animi generositate praediti sint, persaepe a scopo aberrant. Nostro igitur instituto haec accommodantes, sane si d. Paulum consulimus, audiemus nobis dicentem venisse Filium Dei in mundum, ut humanitatis nostrae habitum indueret, et crucein suscipere, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus, ut homo (Phil. 2): ecce habitum; deinde inquit: *Proposito sibi quidam sustinuit crucem, confusione contempta (Heb. 12):* ecce crucem. Ut ergo modum innolescat, quam Christus Dominus dignus esset munere redemptoris, quo huiusmodi crucem suscipiens funeturus erat, explorari praecipitur splendor generis illius: unde quemadmodum cum de alicuius nobilitate fieri oportet inquisitionem, si ille ex parte patris oriundus sit e regione distantiissima, ab ea unde originem ducit eius mater, diversi exploratores ad eam mitti consueverunt; non dissimiliter in proposito, cum Christus Dominus ex parte Patris originem trahat a coelo: a summo coelo egressio eius; ex parte vero matris a terra, iuxta illud symbolum Nicaeni: *natus ex Maria Virgine*; certe ad generationem eius explorandum ex parte Patris Ioannes mittitur, qui divinitus illustratus testatur illum consubstantialem esse Deo Patri (Joan. 1): *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum*; ad explorandum vero nobilitatem eiusdem ex parte

matris Mattheus eligitur, qui postquam rem mature cogitaverat atque exquisierat, ex regia stirpe Davidis ortum evangelica auctoritate constat nobis reliquit, dum ait: *Liber generationis Iesu Christi filii David*. Qui cum Patre et Spiritu sancto vivit, et regnat in secula seculorum. Amen.

## HOMILIA XI.

*Prosequimur idem argumentum, permultis aliis egregiis similitudinibus ad concionandum aptissimis, eandem Virginis genealogiam mystice elucidantes.*

Divi Bernardi verba (*serm. 3. in Cant.*) viam planam mihi aperiant ad mysticam aliam huius Mariæ genealogie intelligentiam; sic enim ait: *Historiam scripturæ ad ortum putō non immerito deputari, quod in ea inveniuntur viri virtutum, tanquam ligna fructifera, in horto sponsi, et in paradiso Dei, de quorum bonis actibus, ac moribus, quot sumis exempla, tunc carnis poma. An forte quis ambigat Dei esse plantationem bonum hominem? audi David de viro bono, quid canat Psalmo 1. Erit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo; et Psalmo 91. Iustus, ut palma florebit, sicut cedrus libani multiplicabitur: et de se ipso Psalmo 51. ait: Ego autem sicut olivula fructifera in dono Dei; hæc Bernardus. Ut lamen umbras relinquamus, et typos, et ex Abraham fructum carpere licet iudici, iuxta illud Genesis (c. 13): *Credidit Abraham Deo, et reputatum est illi ad iustitiam: fructum quoque obedientiæ singularis, quippe qui, ut obediens Deo, filium voluerit immolare. Ex Davide mansuetudinis fructum, iuxta illud (Psal. 131): Memento Domine David, et omnis mansuetudinis eius: Semel enim iniurias, Sauli insectationem, Absalonis persecutionem milissime tulit. Fructum quoque poenitentiae; ubi enim Nathanis (2. Reg. 12) voce peccatum agnovit, profusus ingenuit (Psal. 50): Peccati: d. Ambrosius (in sua Apologia c. 2): Ille rex tantus, ac potens præmatura confessione, atque immenso dolore reddidit peccatum suum Domino; quem nihil nunc facile peccatis honoratum, ac dicitem, qui, si arguatur aliquid culpæ reus, non moleste ferat? ad ille regio clausæ imperio, cum carperetur, non indignatus infrenavit, sed confessus ingenuit; hæc ille. Collige quoque ex hac pulcherrima arbore davidica fructum alium, ut, sicut ille, operam des, ut secundum cor Dei sis: *Inveni, inquit Deus, David filium Iesse, virum secundum cor meum, qui faciet omnes voluntates meas (Act. 13):* Felix qui cor habet secundum cor Dei, cor obediens, cor flexibile in divina voluntatem, ad recipiendam quamlibet figuram molle, ac tractabile, huiusmodi enim corde gaudet Deus. Unctio d. Irenæus (lib. 4. c. 96) dixit: *Præsta Deo cor tuum molle, et tractabile, et custodi figuram, qua te figuravit artifex, habens in teipso humorem, ne induratus amittas vestigia digitorum eius. Collige ex Jacob in custodiendo***

grege suo vigilantiam, iuxta illud Genes. (c. 31) *Die, noctaque aestu urebar, et gelu, fugebatque somnus ab oculis meis. Percurre arbores reliquas, fructusque excerpte similes, quia si de singulis dicendum esset, in immensum abiret oratio. Nec deest in hoc paradiso decantata illa arbor scientiæ boni, et mali, cuius fructus omnibus interdicitur. Salomonem habes, quem propter eximiam boni, mulique scientiam, congrue scientiæ boni, et mali arborem licet appellare; huius fructus est velutis: etenim, in Scriptura docet (lib. 3. Regum): *Depravatum est cor eius per mulieres, ut sequeretur Deos alienos. Vides quem fructum hæc arbor protulerit? velutis est, noli decerpere: foeminarum fuge longe consortium, harum enim id est proprium, cor depravare: hinc Daniel (c. 13.) ad impium iudicem dixit: *Species decipit te, et concupiscentia subvertit cor tuum; foeminae species, hoc est, pulchritudo, decipit hominem, et concupiscentiam excitat, excitata concupiscentia depravat cor, cor depravatum hominem subvertit. Nonne Israelitarum cor per mulieres depravatum est, cum per solitudinem iter facerent. Fornicatus est populus cum filiabus Moab, ut habetur (lib. Numer. 25), quæ vocaverunt eos ad sacrificia sua, at illi condescerunt, et adoraverunt Deos eorum. Vide, quam fuerit horum hominum cor usque ad simulacrorum adorationem per mulieres depravatum (Eccles. 19): *Vinum, et mulieres apostatæ faciunt sapientes. Elsi sapiens tibi videaris, foeminas fuge, atris nubibus mentem, ni fugias, obcoecabunt: quemadmodum enim terræ halitus in nubes coacti solis lumen impediant, sic concupiscentiæ halitus intellectui lucem eripiunt; quemadmodum d. Thomas (2. 2. q. 153. art. 5) caecitatem mentis, primam luxuriæ filiam esse docet. Nomen Samsonis hebraicum multi aiunt significare solem eius; quod Samsoni oculus eruit? nonne quam amabat, Dalila? illa Philisthaeis eum tradidit, quem cum apprehendissent, ut legitimus libro Iudicum cap. 16. statim eruerunt oculos eius. Dalila solem, idest, Samsonem obscuravit, illa oculos Samsonis, libido oculos cuiusvis hominis, ni sibi caveat, eruet. Hoc autem primum conatur Philisthael, idest, daemones, ut Samsonis oculos eruant, idest hominem divina luce privent, quæ expoliatus in scelere conquescat, Philistinorum quoque molas agat. Arboris ergo scientiæ boni, et mali, idest, Salomonis, fructum huiusmodi noli attingere: *Foeminae (ait Hieronymus ad Rusticum) nomen tuum nocent, vultum tuum nesciant: et ad Neoplatianum: Nec sub eodem tecto cum muliere manseris, nec in præterita castitate confidas. Appellasse fertur philosophus quidam mulierem, viri continentis naufragium; et merito quidem: multi enim viri hoc naufragio misere perierunt. Fuge ergo hos scopulos, fuge hanc scyllam, fuge hanc charybdim, fuge hoc venenum: ut enim ait Chrysostomus: *Pulchra mulier castitate carens est venenum stolidis præparatum; tanto autem peius est venenum hoc reliquis, quanto facilius, celeriusque hauritur; oculis enim dumtaxat saepe trahitur instar reguli veneni.******

Alium præterea fructum ex his arboribus excerpte licet, videlicet timorem, humanæ valde necessarium saluti. Animo tuo quæso volve,

quibus supplicis Deus parentem suum Davidem, quibus Salomonem, quibus denique totum Iudæorum populum in transmigratione Babylonis ob crimina commissa affecerit, atque inde intellige, si peccatum perpetraveris, te non impune latrum. Hoc Paulus (*ad Romanos 11.*) suadet illis verbis: *Noli altum sapere, sed time: si enim Deus naturalibus ramis non pepercit, ne forte nec tibi parcat; unde consilium illud Iobianum nobis capessere licet: *Semper quasi timentes super me fluctus timui Deum, et pondus eius ferre non potui: veluti fluctus timentes Dei iram timeamus semper, quæ israeliticum populum veluti fluctus oppressit. Certe, qui fluctus timentes timet, mutata navigatione, in tutum se recipit locum, ut effugiat periculum; sic qui Deum timet, antiqua mutata licentiosa consuetudine, in meliorem se recipit frugem, ut eius iram evadat. Qui fluctus timet, navis abiicit onera, sentinamque exhaurit; qui Deum timet, pondera propulsat peccatorum, foetidissimamque scelerum sentinam abiicit: nisi venti spirant, maris fluctus non tumescunt; nisi peccata prepoterunt, ira Dei non commovetur: ventis fluctus inflantur, peccatis ira Dei concilatur, cuius pondus merito ait Iob (c. 31.) ferre se non potuisse: si enim navis fluctuum pondus ferre non potest, absorptaque mergitur, multo minus homo divini furoris pondus ferre poterit: quæcirca Ierem. (cap. 10): *Corripit, ait, me Domine, verumtamen in iudicio, et non in furore ad nihillum redigas me.***

Sed iam tandem ad arborem vitæ, quæ in hoc genealogiæ paradiso extrema est, Virginem scilicet Deiparam, veniamus; tametsi per varias, ac præstantissimas paradisi voluptatis arbores adumbata sit, ut per cypressum, per libanum, per plantanum, per palmam, immo, per ipsum lignum vitæ, cum ipsa auctorem vitæ germinarit, ut ait Evangelista (*Matth. 1*): *De qua natus est Iesus; pulchre tamen, et ad præsens argumentum accommodatissime præfigurari arborem b. Virginem per arborem suavissimum balsamum producentem; unde ipsa ait (Eccles. 24): *Quasi balsamum aromatizans, odorem dedi: apta quidem satis similitudo, nam, quia sicut, teste Plinio, balsamum uni terræ Iudææ concessum fuit, quod et Glossa (in c. 29. Ecclesiast.) id confirmans dicit: *balsami arbor in Iudæa tantum intra viginti iugera erat; ita b. Virgo in Iudæa nata in duplici solum ortu invenitur, in regio scilicet, et sacerdotali, quia ab utroque hoc genere originem ducit: et sicut fructus huius arboris est omnium saluberrimus ad conservationem generis humani, ut Commentator Dioscoridis tradit (*ad cap. 28.*), ita fructus huius generosæ plantæ, de qua natus est Iesus, salutem attulit universo mundo: unde sicut olim apud Romanos lantæ habita fuit hæc arbor, ut postquam de Iudæis gloriosam victoriam tulerant, hæc arborem in signum victoriæ per publicas urbis vias imperatores Vespassiani deferri mandarent, ut tradit Plinius (*lib. 12. c.*) ex quo ortum habuit dictum Pompeii magni, in triumpho arbores quoque ducimus; merito catholica mater Ecclesiæ, (quod plerumque factiat) imaginem sacratissimæ Virginis fidelium humeris impositam per publicas civitatis***

vias deferat, ut debitum honorem ei exhibeat, et gratiam rependat pro beneficiis in nos collatis: quod si verum est, quod tradit auctor libi de naturis rerum, quoddam balsami generi invenitur non longe a Babylonia, quod septem fontes irrigat, nec alibi, quam ibi plantari patitur; egregie id b. Virginis compellit, quæ septem donorum Spiritus sancti copiosissimis imbribus in ventre matris suæ irrigata orta est: et sicut in balsami arbore nihil est ioutile, nihil insalutiferum, nihil quod suavi odore careat, ita in b. Virgine nihil non sanctum, nihil non odoriferum invenitur; sancta, et odorifera eius conceptio, sanctum, et odoriferum eius natus, sancta eius infantia, sancta pueritia, sanctior inventus, sanctissima senectus.

Quod si fluvium requiras illi similem, de quo (*Genes. 2*) dicitur: *Fluvius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradysum, qui inde dividitur in quatuor capita: in hæc genealogia illum reperies egressum a loco summe voluptatis, idest, Christum Dominum. Quod si forsitan ambigis, ex quo voluptatis loco oriatur, id docet Evangelista, dum ait (*Matth. 1*) *virum Mariæ, de qua natus est Iesus, qui vocatur Christus. Voluptatis locus omni amonente, omnique oblatione plentissimus, b. Virgo est, quæ Cant. 8. delicias allacere dicitur. Est etiam infinitæ voluptatis locus auctori Patris æterni filii, de quo scriptum exlat (*Psalmo 109*): *Ex illo autem nascitur Luciferum quæni te: ex his omnium voluptatum locis fluvius, idest Christus, egreditur, qui deinde dividitur in quatuor capita, idest in quatuor evangelia, quibus totus orbis irrigatur; immo, et ante sæcula ipse præcivus omnes suos progenitores irrigavit.***

Quiddid enim amonitalis, et fructus in his arboribus est, id tomentum est fluvii huius irrigatione est: nam, etsi in genealogia extremus est Christus, eius lamen saluberrimus sanguis ut præsentis irrigat, ita et præteritis quoque homines, Abrahamum, Isaacum, Davidem, ceterosque ab æterno præcognitos irrigavit; unde Zacharias (c. 2): *Ego ero ei, idest Ecclesiæ, ait, Dominus, murus ignis in circuitu, et gloria in medio eorum; quo loco observat Montanus (sup. c. 2. Zach.)* verbum hebraicum: *Clabud, quod gloriæ significat, significare etiam Ierem, ex quo ad reliqua membra sanguis transmittitur: Itaque verbi potest: *ergo secur in medio eorum. Christus enim, et cordi, et teorisi similis est; nam quemadmodum ex icore per reliqua membra, ita ex Christo in omnes homines sanguis diffunditur: est quidem in genealogia hæc Christus omnium ultimus, at in mente, prædestinationeque divina fuit omnium primus, quippe qui totius gratia fons est, ex quo in omnes homines gratia dimanavit: quemadmodum a d. Petro (*epistola prima c. 1*) præcognitus dicitur agnus ante mundi constitutionem, manifestatus autem novissimis temporibus: quam etiam ob causam dici potest Apocal. 1. *primus, et novissimus, primus in prædestinatione, novissimus, quia post legem, prophetas, et patriarchas novissimis temporibus ortus: unde d. Bernardus (sermone 61) ait: *Primus Christus, quem Deus in suo populo principaliter intendebat, et novissimus, scilicet, pa-****

triarcha, rex, et dux in populo illo. Quare autem non primis illis temporibus, sed novissimis post tot generationes venerit, non una patrum est sententia. Hugo Victorinus respondet (1.1. de sacr. c.2), id consulo factum esse, quia in adventu magni regis oportet, ingentem magnatum copiam praecedere, ac magnam famulorum catervam cum subsequi: Verbum incarnatum rex noster est, qui in hunc mundum venit cum diabolo pugnaturus, et omnes sancti, qui ante eius adventum fuerunt, quasi milites sunt ante faciem regis praecedentes, et qui postea veniunt usque ad finem mundi, milites sunt regem subsequentes: et ipse rex medius est in exercitu suo stipatus agminibus suis; et licet in hac tanta multitudine diversae armorum species in sacramentis, et observationibus praecedentium, et subsequentium populorum appareant, omnes tamen uni regi militare, et unum vexillum sequi probantur, et hostem unum persequi, et una victoria coronari; haec Hugo. D. Gregorius Nyssenus (orat. de nativ. Christi) rationem ait fuisse, ut adventu Christi innumera peccatorum agmina extirparentur: Qui vitiositatis tollendae causa, vitae humanae se immixturus erat, necessario expectavit, donec omne peccatum opere inimici radicibus acis germinasset, atque ita deinde radicis securis, ut evangelium dicit, admoit. His consonant verba Theophaeti (super c. 9. epist. ad Hebr.): Postquam extremis temporibus ingens peccatorum copia erat, merito manifestatus est Christus in consummatione saeculorum, ut demoliretur peccatum; itaque voluit hi Patres, expectandum fuisse saeculum incrementum, ut ubi abundavit delictum, abundaret et gratia salvatoris, ut dixit Apostolus (ad Rom. 5): unde sicut fabricatio arcae (Gen.6), in qua genus humanum salvandum erat, dilata fuit usque ad tempus opportunum, quando ca magis opus erat, propter exuberantem diluvii inundationem, ita fabricatio mysticae arcae humanitatis Christi Domini dilata fuit usque ad tempus, in quo peccata universum orbem inundaverant. D. Augustinus (in tract. 31. in Ioannem) aliam rationem adducit: Quia oportebat per multam seriem temporum, et annorum praedici Christum, tantquam stupendum divinae gratiae venturum portentum; et quia, ut ipse ait, quanto maior lux deus veniebat, tanto praecursorum longior series praecedere debebat. D. Leo (serm. 3. de nativitate) aliam egregiam adhibuit rationem in haec verba: Sapientia, et benignitas Dei hac salutiferi operis mora captores nos suae vocationis efficit, ut quod multis signis, vocibus, multisque mysteriis per tot saecula praenunciatum, in his diebus evangelii non esset ambiguum; et nativitas, quae omnia miracula, omnemque intelligentiae erat excessura mensuram, tanto constantiore in nobis gigneret fidem, quanto praedictio eius, et antiquior praecessisset, et crebrior; haec ille. Theodoretus (in c.1. Math.) hanc reddit rationem, quod sicut ad sacram theologiam praecedere debet philosophia, ita oportuit prius mundum ab ethnicis philosophia imbuti, quam summus doctor, et archimagister Christus ad suam coelestem, ac theologiam doctrinam tradendam accederet: Cum Dei, inquit, cognitionem lex docuisset, veluti ad quendam do-

ctum doctorem, ac magistrum duxit nos, ut perfectas disciplinas ab eo discamus, et iustitiam, quae est per fidem, acquiramus. Sed et nos duplicem aliam subiungamus rationem: prima, quia oportebat terram prius colli, quam grana illud frumenti, Christum Dominum intelligi, ei committeretur, ut illo mortuo seges surgeret copiosa, et admirabilis. Secunda ex d. Bernardo (sermone de nativitate Virginis), ubi ait: Propterea tanto tempore humano generi fluente gratiae defuerant, quod, necdum intercederet is, de quo loquimur, tam desiderabilis aqueductus. Similia habet d. Anselmus (libro de excellentia Virginis), dum ait: Multa saecula, et damnationis immanitas super omnes filios hominum semper est in deterius roborata. Nec enim Dei sapientia ullam in massa creationis humanae vitam invenit, per quam, ut disposeret, in mundum veniens, tam luctuosae perditioni subveniret, donec ad Virginem ventum esset.

Ceterum iam aliam mysticam Rupertii (hom. 1. in cap. 1. Math.) intelligentiam huius genealogiae Virginis adiungamus, et illustremus; ille in caput primum Matthaei docet, per mirabilem illam scalam, quam vidit Iacob, dum Mesopotamiam Syriae proficisceretur, altero extremo coelum, altero terram tangentem, egregie adumbrari hanc Virginis genealogiam: gradus huius scalae progenitores fuerunt B. Virginis, extremum eius terram tangens, Davidem esse legitimus, qui est in capite (Math. 1): Liber generationis Iesu Christi filii David; extremum vero, quod coelum tangebatur, Christus Dominus est, ut dixit d. Paulus (1. Cor. 5): Primos homo de terra terrenus, secundus de coelo coelestis: haec scala firmiter haerebat super terram, ut figuraret firmam, et stabilem esse promissionem sanctam Abrahae, et Davidi de descensu a coelo in mundum per hanc scalam; in eo tamen maxime differet scala illa ab ista, quod in cacumine illius aderat Deus (Gen. 28): cuius cacumen coelum tangebatur, ut ait sacer textus, et Dominus iniunxit scalae; in hac vero genealogiae mystica scala videmus Deum non in vertice solum (Math. 1), Liber generationis Iesu Christi, sed in fine etiam illius, de qua natus est Iesus. Cuius discriminis cum rationem exhiberi posse arbitror, quod tunc Deus significare voluit amico suo Iacob super astra in cacumine coeli imperii coelestem suam curiam habere, et ideo solum in vertice scalae apparuit; quia tamen, cum Verbum caro factum est, coelestis curia etiam in terra aderat, ut testatur Ioan. (Apoc. 21): Vidi civitatem Ierusalem descendentem de coelo; ideo ad id praenotandum Deus adest, non solum in principio huius mysticae scalae, sed et in fine, et in ultimo eius gradu, nempe in Maria, de qua natus est Iesus.

Porro mysticam aliam eiusdem genealogiae expositionem silentio non praeteribo, utpote quam ad mores componendos non parum profuturam existimem. Certe quoties hanc genealogiam contempler, ad vivum mihi representari video multiplicem mundi huius miseriam, ac honorum omnium temporalium inutilitatem et inconstantiam: si enim in mundo reperitur permixti boni cum malis, de quibus d. Augustinus dixit (in Psalm. 34): Omnis malus aut

ideo vivit, ut corrigatur, aut ideo vivit, ut per illum bonus exerceatur; sic in hac genealogia iustus cum iniustus, nocentes cum innocentibus permixtos intuemur: si in hoc saeculo instabilitas illa viget, de qua Iob (cap. 14): Nunquam in eodem statu permanet; eandem in hac genealogia reperio, cum baculus humilis pastoris David in regem sceptrum conversus, et hoc rursus in serram Ioseph fabri lignarii commutatum videamus. Unde insignis ille Petrarca (in Prolog. libri), quod et Plato prius dixerat, ait: omnes reges ex servis ortos, et omnes servos ex regibus natos, nullumque unquam regem exlitisse lignis expertem; nec et converso lignoni, ad quem non aliquando sceptrum regni pertinuerit. Hinc mundus recte assimilatur staturae per regem Nabuchodonosor (Dan. 2) in somnis conspectae instar colossi, ex aere, quae exterius quidem nimbis alienius speciem praeseferebat, intus vero saxis, trabibus, telis quoque araneorum, ac rudibus plena erat: illa statura habebat caput aurum, pectus argenteum, pedes denique luteos, sive fetiles, idest, finem illorum sine honore, quia mundus totus vana est haec colossi figura, quae praeterit: unde non immerito genealogiam hanc, sicut et mundum, lunae persimilem esse dixerim: ob multiplicem eius mutationem: est in novilunio parva, et paulatim usque ad plenilunium augetur, deinde minuitur, ac disparet; rursus oritur, rursus ad plenilunium pervenit, rursus denique fugit aspectum: similem in modum antiqua illa prosapia, ut luna in Abrahama, Isaac, et Iacob exorta parva fuit, paulatim in Aegypto, et Palaestina usque ad plenilunium, idest, usque ad regnum, et usque ad Davidem, et Salomonem crevit: fuit enim plenilunium illud Davidis, et Salomonis tempore, in quo ad summum pervenit splendorem Post hoc plenilunium coepit amittere lumen, ac decrescere, divisum est regnum, in idololatriam populus prolapsus est, decem tribus in captivitatem abductae; denique tandem in transmigratione babilonica luna disparuit. Quid? peribit omnino? nullo unquam tempore apparbit? Post transmigrationem Babilonis, ait Matthaeus, Iechonias genuit Salathiel, Salathiel autem genuit Zorobabel; deinde apparuit luna, quae disparuerat, rursus crescere coepit, crevitque usque ad plenilunium, idest, usque ad Christum: tunc enim, cum venit plenitudo temporis, ut loquitur Paulus (1. Gal. 4) verum plenilunium fuit.

Tandem, ut paucis multa comprehendam, et ad id, unde tantillum digressi sumus, revertamur; si apostolus Ioannes omnia, quae sunt in mundo, ad tria capita revocavit dicens (epist. 1. c. 2): Omne, quod est in mundo, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitae; sane singula haec perspicue satis omnium oculis obiciuntur, si singulos contentos in hac genealogia parumper contemplerur. In Thamar, et aliis meretricibus concupiscentiam carnis videbis; in Salomone oculorum concupiscentiam intueberis, ipso id attestante (Ecles. 2): Omnia, quae desideraverunt oculi mei, non negavi eis; superbia vitae quis distulit? videtur viginis in Davide, ex mentis elatione numerate copiosam multitudinem populi sui;

CARTHAGENA de B. M. V.—Vol. I.

et in Roboam (2. Reg. 24), qui cum Salomone habuisset patrem regem, alioquin sapientissimum, et potentissimum, ipse arroganter putans potentiorum se illo esse, dixit (3. Reg. 12): Minimus digitus meus grossior est dorso patris mei. Est igitur haec genealogia speculum quoddam vitae humanae, quo tam adversa, quam prospera fortuna, opulencia, et inopia, gloria, et ignominia, sceptrum, et ligo, peccatum, et gratia, ac honorum omnium temporalium instabilitas adummissi representantur.

Apte etiam et contra videtur mihi comparari posse genealogiam hanc aureae catena, cuius annuli sunt patriarchae, reges, fortissimi duces, et ex qua pendet agnus ille Dei, Christus Iesus. Quemadmodum item longa elementorum, et orbium coelestium series empyreo coelo, in quo Deus inhabitat, terminatur; sic longa haec progenitorum series, quorum alii, nempe peccatores corruptibilibus elementis, alii vero sanctissimi viri incorruptibilibus coelis similes sunt, Virgine velut empyreo definitur, in quo Deus semper inhabitavit. Et quemadmodum, cum augustissimum eucharistiae sacramentum celebrari defrutur pompa, prius virorum praecedat multitudo, postea extremo loco, auro, gemmisque exornato defertur; ad eundem modum celebri veluti pompa Christus Dominus in hac genealogia exhibetur: longo enim ordine reges, patriarchae, ac alii eius progenitores praecedunt, ad extremum tandem Dei Filius sub tegumento humanitatis delitescens, aureo in ferulo beatissimae Virginis omnium virtutum gemmis fulgentissimo producit, de qua natus est Iesus, qui vocatur Christus. Ut enim rex Salomone ferulum sibi fecit de lignis libani (Cant. 3), ita, velut Salomone, Christus ferulum sibi confecit, Virginem scilicet, quam propterea deferre vocarim, ex lignis libani, idest ex regibus, et patriarchis, Virginis progenitoribus, ut in ipso gestaretur, ut reipsa a Virgine gestatus fuit per novem menses in utero, in brachiis frequentissime per plures annos infantiae, et pueritiae, in corde vero, et animo, per totum vitae curriculum.

Tandem eandem Christi genealogiam contemplanti mihi videtur plane Deus cum gente hebraea perinde se gessisse, ac iudex cum adultera praegnantem: nam sicut hic a punitione se abstinet, illamque in multa patientia sustinet, quousque appropinquante tempore partus, foetum incolorem emittat, illo vero iam emissio, mox adulteri poenam luit: non secus cum hebraea systeroga quasi praegnantis esset, virtute continens Mariam, et Christum ab illa oriundos, non tamen considerans Deum illum in sponsam accepisse, iuxta illud (Osee 2): Sponsabo te mihi in fide: tot adversus illum patravit adulteria, tot idololatriae crimina commisit, tot gravissimis sceleribus se conspurcavit, ut de illa graviter conquireret, diceret: Auferat fornicationes suas a facie sua, adulteria sua de medio uberum suorum, non forte expoliet eam nudam, et staturam eam secundum diem nativitatis suae, et ponam eam, quasi solitudinem: Deus tamen sustinuit eam in multa

patientia, quoadusque in lucem edidit Christum Dominum; illo vero iam orto, continuo coepit illam debito supplicio mulctare, in varias tetrarchias mysticum eius corpus fructuans, et refert divus Lucas (cap. 3). Quod si verum est, non refert infimi nominis doctores affirmant, Deum optimum maximum, eapropter tribum Benjamin penitus non extinxisse, licet aliquin ob ingentia eius scelera condigne id meruisset, quia praenoverat divum Paulum ex ea tribu oriundum; facile inde a simili mihi persuadeo, populum israeliticum toties idola colentem, et a Deo suo recedentem, non fuisse penitus ab eo extinctum, quia ex illo oriundam praenoverat Mariam inviolatam Virginem futuram Filii sui genitricem, ex cuius purissimi sanguine Verbum divinum passibilem carnem sumpturum erat, et genus humanum a salutaris servitute liberaret, et ad filiorum Dei libertatem transferret, cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

## HOMILIA XII.

*Alia allegorica, et mystica intelligentia totius genealogiae Deiparae Mariae, et interpretatio nominum, quae in illa referuntur, pulchre describitur, in illa verba: Liber generationis Iesu Christi filii David, filii Abraham.*

In exordio expositionis eniusequum libri tria praecipue quaerenda esse reor, tempus, locum, et personam; locus quidem compositionis huius libri, Iudaeam fuisse nemo diffidet, ubi hebraico idiomate scriptum constat. Tempus fuit Caii imperatoris, qui singulare monarchiam universi orbis Romae tenebat. Auctor Matthaeus divino spiritu afflatus, qui *Levita* genere, et sacerdos exilit dignitate, cuius nomen interpretatum in nostra lingua *Donatus* dicitur; digno valcino sic vocatus, quia telonio negotiis immersus, ab illis se avocans Christo se donavit, et a Christo Ecclesiae catholicae donatus ipse fuit, ut pulchram Verbi incarnati historiam conlaxeret. Fuit autem ante multa saecula ostensa a prophetis sub effigie hominis (*Ezech. 1*), quia gesta, quae Dominus noster in carne iuxta humanam carnem gessit, narraturus erat: Marcus in specie leonis apparuit, quia evangelium ab actu leonis inchoavit, cui propriam est in deserto rugire: dixit enim (*Luc. 1*): *Vox clamantis in deserto*: Lucas sub specie iuvenis similatus apparuit, quia ab eo coepit, qui vitulos frequentius offerre solitus erat, videlicet a Zacharia sacerdote: Ioannes vero more aquilae volantis, illum, qui super astra sedet, verbo petiit, iniquiens (*Ioan. 1*): *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum.*

Requirendum vero, quare, cum multa evangelia ordinata fuisse legamus, in nomine duodecim Apostolorum, et etiam aliorum doctorum, sicut Lucas refert, nullum illorum placuerit Deo legi, vel suscepti in Ecclesia sua, nisi haec quatuor, neque plus, neque minus?

Etenim haec quatuor evangelia velut quatuor elementa mundi a Deo ordinata sunt, et ante multa saecula ostensa a prophetis: appellata autem ab Ezechiele sunt *animalia* (*cap. 1*), quoniam propter animam hominis evangelium praedicatur: vel propter converfendos peccatores, qui instar animalium rationis expertum vitam agunt: idcirco vero plena oculis ante, et retro, intus, et foris a prophetis praedicata sunt, quia et praesentia Domini gesta, et futura de iudicio venturo narrare: crura dicuntur recta habere, quia nihil a veritatis tramite deflectens in evangelis invenitur: *quasi sit rota in medio rotae*: quia quidquid evangelium annunciat, in veteri testamento praedictum fuit; et ambo, velut concordēs rotae, Christi doctrinam per universum orbem vehunt: quod dicit, *ubi erat impetus spiritus, illic gradiebatur*, ostendit, nihil aliud Evangelistas narrasse, nisi quae Spiritus sanctus in cordibus eorum profudit. Figurae istorum animalium etiam Domino conveniunt, qui homo factus est nascendo, vitulus moriendo, leo resurgendo, et aquila exiitit ascendendo. Quia ergo sic ordinata a Deo, et ostensa sunt ista quatuor evangelia longo ante tempore, ideo respuit Ecclesia catholica aliorum pseudo doctorum deliramenta, et suscepit haec quatuor in similitudinem quatuor fluminum, quae profundum de uno fonte ex paradiso, per quorum alterum, quod *Gehon* dicitur, et interpretatur *terrenus*, significatur Matthaeus, qui terrena acta de Christo narravit (*cap. 9*); per *Tygrin*, qui *velocitas* interpretatur, Marcus designatur, qui cursum acta Domini exposuit per *Euphratem*, qui *fertilitas* interpretatur, Lucas designatur, qui uberius, et latius Domini gesta decurrit: per *Phison*, qui *infans* potest dici, significatur Ioannes, qui excellentius afflatus Spiritu sancto, de Domini dignitate attingit: et sicut illa quatuor flumina paradisi irrigabant, sic et ista quatuor evangelicae doctrinae flumina totam irrigant Ecclesiam. Non pauca sacramenta in sacra Scriptura inveniuntur, quae hunc numerum sacramentorum reddunt: quatuor sunt elementa, per quae mundus subsistit; coelum, terra, ignis, et aqua: per aquam Marcus, qui dixit: *Vox clamantis in deserto*: per terram Matthaeus, qui dixit: *Liber generationis*: per ignem Lucas, qui ait: *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis*, per coelum Ioannes, qui transit omnem creaturam, dicens: *In principio erat Verbum*. Homo ex quatuor elementis constat superioris comprehensionis: Adam ex quatuor literis compositum nomen habet, quae praecipua sunt in quatuor clymatibus mundi; in graeca lingua, A, idest, alpha, ἀρχὴ, *orientis*: delta, δέξις, idest, occidentis. Item alpha, ἀρχαί, *septentrio*; nu, νότος, idest, *meridies*. Arca testamenti quatuor circulis aureis portabatur, et per vectes quatuor auro coopertos quatuor evangelia significantur. Arca Ecclesiam, vectes doctores: sicut circumdati erant annulis, ita sacerdotes de veteri, et de novo testamento docti, et de quatuor evangelis defendunt Ecclesiam ab haereticis, Vas linteum, quod vidit Petrus (*Act. 10*), significat Ecclesiam; quatuor lineae, per quas dimittebatur, quatuor evangelia signifi-

cant; munda, et immunda animalia habebat, quia Ecclesia de omnibus gentibus colligitur. Sed age iam mysticam intelligentiam totius huius genealogiae tradere ab ipsa nominum interpretatione exordiens. Ne autem cupiam id inutile videatur, recolat quaeso verba illa divi Chrysostomi (*ho. 2. de verb. Isai. to. 2*) in eos, qui studia nominum, et genealogiarum fastidiebant: sic enim ait: *Sunt homines quidam opifices, qui posteaquam sacros libros in manus suaverint, deinde repererint, vel annorum numerum positum, vel nominum recensitionem, illico praetercurrunt, et incusantibus respondent: nomina tantum sunt, nec quicquam habent utilitatis. Quid ais? Deus loquitur, et tu aures decere nullam esse ditorum utilitatem? Haec divus Chrysostomus. Abraham ergo pater multarum gentium; Isaac gaudium; Iacob supplantator; Iudas confessio interpretatur: Phares divisio; Zara oriens; Esron sagittam edens; Thamar palma dicitur; Aram electus; Aminadab populus spontaneus; Naasson augur fortis; Salmon terribilis accipitur; Boaz in ipso fortitudo; Rahab lata; Obed serviens; Ruth festinans subauditur; Isse incendium; David manu fortis, vel desiderabilis; Salomon pacificus; Urias lux mea Deus; Bethsabee filia iuramenti subintelligitur; Roboam latitudo populi; Abia pater dominus; Asa tollens; Iosaphat Dominus indicavit exprimitur: Ioram excelsus; Ozias robustus Domini; Ioathan perfectus; Achaz apertus dicitur; Ezechias fortitudo Domini; Manasses oblioscus; Amon fidelis; Iosias salus Domini interpretatur; Iechonias, praeparatio Domini; Sathiel, petitio mea Deus; Zorobabel iste magister; Abiud pater meus iste subauditur; Eliachim Dei resurrectio; Azor adiutus; Sadoch iustus; Achim frater meus subintelligitur; Eliud Deus meus; Eleazar Deus adiutor; Mathan domum; Iacob supplantator exprimitur. Igitur per hos patriarchas Christus Dominus noster veniens in mundum, horum omnium in se ipso allegorice gessit officium, et in eorum interpretatione nominum nostram salutem designavit. In Abraham, pater est cunctorum credentium, in quo iuxta Apostolum clamamus: *Abba Pater*; in Isaac, gaudium est omnium fidelium, de quo angelus dixit (*Luc. 2*): *Ego annuncio vobis gaudium magnum, quod erit omni populo*: in Iacob, supplantator est, quia ipse subvertavit, et contrivit diabolum vastatorem humani generis, et vasa eius diripuit: in Iuda, confessio: quia ipse dixit (*Matth. 11*): *Confiteor tibi Pater, Domine coeli, et terrae*: in Phares, divisio, quia segregat oves ab haedis, idest, bonos a malis, electos a reprobis: in Zara, oriens, sicut scriptum est (*Luc. 1*): *Visitavit nos oriens ex alto*: in Thamar, palma victoriae, sicut ipse dixit (*Ioan. 1*): *Confidite*: in Aram, electus, de quo Pater loquitur (*Isai. 54*): *Eccc puer meus, quem elegi, electus meus, dedi super eum spiritum meum*: in Aminadab, populus spontaneus, qui sponte posuit animam suam, ut non efficeret populum sibi spontaneum, Deoque acceptabilem: in Naasson, augur, idest, propheta fortis, cum dixit (*Matth. 23*): *Cum venerit Filius hominis in maiestate sua,**

*tunc sedebit, ut iudicet orbem terrae in aequitate*: in Salmone sensibilis, idest, intellectualis, de quo scriptum est (*Luc. 11*): *Ipsa autem, ut vidit cogitationes eorum*, et iterum (*Psal. 93*): *Dominus novit cogitationes hominum*: et (*Psal. 5*): *Serutans corda, et renes Deus*: in Booz, fortitudo in ipso est, quia a nemine fortitudinem accepit, de quo dicitur est (*Psal. 23*): *Dominus fortis, et potens, et Dominus potens in praetorio*: et ipse in evangelio ait (*Ioan. 12*): *Omnia traham ad me ipsum*: in Rahab, latitudo non capit orbis, cuius regni non erit finis: in Obed, serviens, quia non venit ministrari, sed ministrare, formam servi accipiens: in Ruth, festinans ad salutem nostram, qui festinanter vult omnes salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire, dicens in evangelio (*Matth. 4*): *Poenitentiam agite: appropinquavit enim regnum caelorum*: in Isse, incendium agnoscerit: ipse autem dixit (*Luc. 12*): *Ignem veni mittere in terram, et quid volo, nisi ut ardeat*; sicut Ioannes edixit (*Matth. 3*): *Ipsa vos baptizabit in Spiritu sancto, et igne*: in David, desiderabilis, quia speciosus erat forma prae filiis hominum; in eodem, manu fortis, quoniam flagellum de funiculis in manu teneo, immensam vendentium, et ementium multitudinem eiecit de templo; vel quando diabolum vicit, et calumniam nostram contrivit: in Salomone, pacificus, sicut ipse dixit (*Ioan. 14*): *Paxem relinquo vobis, paxem meam do vobis*; et Apostolus (*Ephes. 2*): *Ipsa est pax nostra, qui fecit utraque unum*; in Bethsabee, filia iuramenti, de quo dicitur est (*Psal. 102*): *Iuravit Dominus, et non poenitit eum*: Tu es sacerdos in aeternum; in Roboam, latitudo populi est, cum dicit (*Matth. 8*): *Multi ab oriente, et occidente venient, et recumbent cum Abraham, Isaac, et Iacob in regno caelorum*: in Abia, pater Dominus, qui ait (*Matth. 23*):  *Nolite vobis patrem vocare in terra; unus est enim pater vester, qui in caelis est*: in Asa, tollens, de quo Ioannes (*Ioan. 1*): *Eccc Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*: in Iosaphat, Iudex, qui ipse iudex viciorum, et mortuorum; sicut ipse ait (*Ioan. 5*): *Pater non iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit Filio*: in Ioram excelsus, quia ipse ascendit super omnes coelos, ut adimpleret omnia; et Psaltes dicit (*Psal. 112*): *Excelsus super omnes gentes Dominus, et super coelos gloria eius*: in Oza, robustus Dominus, quia ipse capitulatum humani generis in manu robusta liberavit, et in alta caelorum deduxit: in Ioathan, perfectus, sicut in evangelio ait: *Nos enim decet implere omnem iustitiam*: in Achaz, apprehendens, qui coelum palmo ponderavit, et terram pugillo conculcit: in Ezechia, fortitudo Domini, quia iuxta Apostolum (*1. Cor. 1*), Christus est *Dei virtus, et Dei sapientia*: in Manasse, oblioscus iniquitatis, sicut scriptum est (*Ezech. 18*): *In quacunque die concersus fuerit peccator ab iniquitate sua, omnium iniquitatum eius non recordatur*: in Amon, fidelis, iuxta divum Paulum: *Ut misericus fuerit, et fidelis Pontifex ad Deum*; et iuxta Ioannem: qui *fidelis in Iosia, salus Domini*, quia *Omnis quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit*: in Iechonia,